

OVIDE

HALIEUTIQUES (135 vers)

v.1 Accepit mundus legem : dedit arma per omnes
 2 admonuitque sui : vitulus sic namque minatur,
 3 qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte ;
 4 sic dammae fugiunt, pugnant virtute leones
 5 et morsu canis et caudae sic scorpius ictu,
 6 concussisque levis pinnis sic evolat ales.
 7 Omnibus ignotae mortis timor, omnibus hostem
 8 praesidiumque datum sentire et noscere teli
 9 vimque modumque sui. Sic et scarus arte sub undis
 10 si n... [Lacune]
 11 decidit adsumptamque dolo tandem pavet esca,
 12 non audet radiis obnixa occurrere fronte :
 13 aversus crebro vimen sed verbere caudae
 14 laxans subsequitur tutumque evadit in aequor.
 15 Quin etiam, si forte aliquis, dum praenatat, arto
 16 mitis luctantem scarus hunc in vimine vidit,
 17 aversi caudam morsu tenet atque ita vellit
 18 libera ut e nassa quae texit praeda resultet.
 19 Sepia tarda fugae, tenui cum forte sub unda
 20 deprensa est (jam jamque manus timet hilla rapacis),
 21 inficiens aequor nigrum vomit illa cruorem
 22 avertitque vias oculos frustrata sequentes.
 23 Clausus rete lupus, quamvis inmitis et acer,
 24 dimotis cauda submissus sidit harenis
 25 in auras... [Lacune]
 26 emicat atque dolos saltu deludit inultus.
 27 Et muraena ferox teretis sibi conscia tergi
 28 ad laxata magis conixa foramina retis
 29 tandem per multos evadit lubrica flexus
 30 exemproque nocet : cunctis intervenit una.
 31 At contra scopulis crinali corpore segnis
 32 polypus haeret et hac eludit retia fraude
 33 et sub lege loci sumit mutatque colorem
 34 semper ei similis quem contigit, atque ubi praedam
 35 pendentem saetis avidus rapit, hic quoque fallit,
 36 elato calamo cum demum emersus in auras
 37 bracchia dissolvit populatumque exspuit hamum.
 38 At mugil cauda pendentem everberat escam
 39 excussamque legit ; lupus acri concitus ira
 40 discursu fertur vario fluctusque ferentes
 41 prosequitur quassatque caput, dum vulnere saevus
 42 laxato cadat hamus et ora patentia linquat.
 43 Nec proprias vires nescit muraena nocendi
 44 auxilioque sui, morsu nec comminus acri
 45 deficit aut animos ponit captiva minacis.
 46 Anthias his tergo, quae non videt, utitur armis,
 47 vim spinae novitque suae versoque supinus
 48 corpore lina secatur fixumque intercipit hamum.
 49 Cetera quae densas habitant animalia silvas
 50 aut vani quatiunt semper lymphata timores
 51 aut trahit in praeceps non sana ferocia mentis :

52 ipsa sequi natura monet vel cominus ire.
 53 Impiger ecce leo venantum sternere pergit
 54 agmina et adversis infert sua pectora telis,
 55 quoque venit fidens magis et sublatior ardet
 56 concussitque toros et viribus addidit iram,
 57 procidit atque suo properat sibi robore letum.
 58 Foedus Lucanis provolvitur ursus ab antris ;
 59 quid nisi pondus iners stolidaeque ferocia mentis ?
 60 Actus aper saetis iram denuntiat hirtis :
 61 se ruit oppositi nitens in vulnera ferri,
 62 pressus et emisso moritur per viscera telo.
 63 Altera pars fidens pedibus dat terga sequenti,
 64 ut pavidi lepores, ut fulvo tergore dammae
 65 et capto fugiens cervus sine fine timore.
 66 Hic generosus honos et gloria major equorum,
 67 nam capiunt animis palmam gaudentque triumpho :
 68 seu septem spatiis circo meruere coronam,
 69 nonne vides victor quanto sublimius altum
 70 adtollat caput et vulgi se venditet auras ;
 71 celsave cum caeso decorantur terga leone,
 72 quam tumidus quantoque venit spectabilis actu
 73 conspissatque solum generoso concita pulsu
 74 ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis ?
 75 Quid laus prima canum quibus est audacia praeceps
 76 venandique sagax virtus viresque sequendi,
 77 quae nunc elatis rimantur naribus auras
 78 et nunc demisso quaerunt vestigia rostro
 79 et produnt clamore feram dominumque vocando
 80 increpitant ? quam si conlatis effugit armis,
 81 insequitur tumulosque canis camposque per omnes.
 82 Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.
 83 Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
 84 admoneam vastique maris temptare profundum :
 85 inter utrumque loci melius moderabere funem.
 86 Aspera num saxis loca sint (nam talia lentos
 87 deposcunt calamos, at purum retia litus)
 88 num mons horrentes demittat celsior umbras
 89 in mare (nam varie quidam fugiuntque petuntque)
 90 num vada subnatis imo viridentur ab herbis,
 91 objectetque moras et molli serviat algae.
 92 Discrpsit sedes varie natura profundi
 93 nec cunctos una voluit consistere pisces.
 94 Nam gaudent pelago quales scombrigue bovesque,
 95 hippuri celeres et nigro tergore milvi
 96 et pretiosus elops nostris incognitus undis
 97 ac durus xiphias ictu non mitior ensis
 98 et pavidi magno fugientes agmine thunni,
 99 parva echenais (at est, mirum, mora puppibus ingens)
 100 tuque, comes ratium tractique per aequora sulci,
 101 qui semper spumas sequeris, pompile, nitentes,
 102 cercyrosque ferox scopulorum fine moratus,
 103 cantharus ingratus suco ; tum concolor illi
 104 orphos caeruleaque rubens erythinus in unda,
 105 insignis sargusque notis, insignis iulis
 106 et super aurata sparulus cervice refulgens
 107 et rutilus phager et fulvi synodontes et ex se
 108 concipiens channe gemino sibi functa parente,
 109 tum viridis squamis parvo saxatilis ore

110 et rarus faber et pictae mormyres et auri
111 chrysophrys imitata decus, tum corporis umbrae
112 liventis rapidique lupi percaequae tragique,
113 quin laude insignis caudae melanurus et ardens
114 auratis muraena notis merulaequae virentes
115 immitisque suae conger per vulnera gentis
116 et captus duro nociturus scorpios ictu
117 ac numquam aestivo conspectus sidere glaucus.
118 At contra herbosa pisces laetantur harena,
119 ut scarus, epastas solus qui ruminat escas,
120 fecundumque genus maenae lamiosque smarisque
121 atque inmundi chromis, merito vilissima salpa
122 atque avium dulces nidos imitata sub undis
123 et squamas tenui suffusus sanguine mullus,
124 fulgentes soleae candore et concolor illis
125 passer et Hadriaco mirandus litore rhombus,
126 atque epodes lati, tum molles tergore ranae
127 extremi pareuc... [Lacune]
128 [Lacune]
129 [Lacune]
130 lubricus et spina nocuus non gobiis ulli
131 et nigrum niveo portans in corpore virus
132 [Lacune]
133 loligo durique sues sinuosaque caris
134 et tam deformi non dignus nomine asellus
135 tuque, peregrinis acipenser nobilis undis